

SECRETARIA  
DEL  
ARZOBISPADO  
DE  
MICHOCACAN.

Como resultado de su ocurso fecha 15 del corriente, y para su inteligencia y fines consiguientes, trascribo à V. el siguiente decreto:

Morelia, Mayo 20 de 1888.—Visto el expediente anterior, venimos en conceder al Sr. D. José M. Jurado la licencia que solicita para agregar al *Manual de Benedictiones*, que con nuestro permiso acaba de editar, la fórmula para la administración del Santo Sacramento de la EXTREMA-UNCION, y el *modo de auxiliar à los morib.*, tomando todo este de las fuentes que expresa, y bajo la dirección mediata del Sr. Pbro. D. Agustín Aguilar. Y por cuanto à la impresión de dicho *Manual* se dio bajo la dirección de este eclesiástico, en un oficio de 3 de Marzo de 1885, concedemos nuestro permiso al editor, para que lo circule, previa la aprobación del Censor, y la insercion de este precepto. Así el Sr. Gobernador de la Mitra lo decretó y firmó.—*Macouzet*, Obispo de Michoacan.—M. f.

Dios Nuestro Señor guarde la vida de V. muchos años.

Morelia, Mayo 25 de 1888.

Agustín P. Pallares,  
Srio.

Sr. D. José M. Jurado.—Presente.



FO...  
VALVE DE...



DOCTRINA.  
DE BENEDICTIONIBUS.

QUANTA sit virtus, et utilitas et necessitas sacrarum benedictionum facile quis videre potest in sacra pagina, in Martino del Rio, et præcipue in Canonico. Instit. Bened. XIV. Non est ergo cur in hac re ostendenda immeremur, sed tantum licebit passim notare, quid benedictionis nomine intelligatur? Benedicere, juxta D. Thomam,

007492



trifariam potest evenire, scilicet enuntiative, optative et imperative.

Benedictio enuntiativa, quæ fit laudando, est quam Deo tribuimus, cum toties ipsum benedicimus et laudamus, secundum illud Psalmi xxxiii: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Benedictio optativa, quæ fit aliquod bonum optando et precando, secundum illud Psalmi cxxvii. *Benedicat tibi Dominus ex Sion et videas bona,* etc. est quam homo homini dare solet non laudando solum, sed aliquod etiam bonum adprecando.

Benedictio imperativa, quæ fit imperando et operando effectus intentos, est quam dat solus Deus per se, vel per Ministros suos, et operatur prædictos effectus. Hanc quandoque Deus dedit per seipsum, ut patet Gen. c. 1, v. 28: *Benedixitque illis Deus et ait,* etc.: quandoque vero per suos servos, ut Josue, c. xxiv, v. 10: *Per illum benedixi vobis, et liberavi vos;* et ita pluries benedixisse liquet ex sacris litte-

ris, et hodie Deus in Ecclesia benedicit per Pontifices et Sacerdotes. Hujus autem generis sunt benedictiones in hac compilatione annotatæ.

Hæc Benedictio, quæ à Deo datur per Ministros suos, etiam duplex est, una scilicet, quæ datur à puro homine propter meritum sanctitatis, in quo Christus per gratiam inhabitat, sicuti est illa, quæ à sanctis viris peti consuevit; et alia quæ datur propter meritum Christi alicui instrumentaliter applicatum, et in hac danda requiritur Ordo sacer, non autem sanctitas necessario; quæ quidem potest esse vel personarum, ex. gr. Abbatum, Virginum, Sponsorum, Militum, populi etiam, etc., vel rerum seu locorum, ex. gr. Aquæ, Vini, Olei, Cerae, Cinerum, Palmarum, Vestium, Vasorum, Altarium, Ecclesiarum, Domorum, Agrorum, et hujusmodi.

His prælibatis dicendum est, Benedictionem istam sumi hic pro prece, quæ ecclesiastico more rebus ipsis specialis sanctitas impertitur, ita ut in



usus profanos illæ deinde transferri non possint; et dicitur constitutiva, cum per ipsam sive res sive personæ divino cultui destinantur, cujusmodi sunt benedictiones *Aquæ, Vestium Sacerdotalium, Mapparum Altaris, Corporalium, Vasculi pro sacrosancta Eucharistia*, etc.; dicitur tandem et est invocativa, cum per ipsam à Deo, vel rebus vel personis imploratur divinum auxilium, et ejusmodi sunt benedictiones *Agni in Paschate, ovorum, panis, novorum fructuum, cujuscumque comestibilis, candelarum, loci, domus*, etc.

His precibus flagitat à Deo Ecclesia, ne dæmones vel homines rebus, ad gloriam Dei et usum hominis conditis, abutantur. Eo sensu benedicit Ecclesia domos, naves, aquam maris, fluminum, agros, vineas, thalamum nuptialem, pannos quibus infantes involvuntur, arma et vexilla bellica, vestes, baculos peregrinorum, omne ciborum genus, etc. His benedictionibus precatur Ecclesia, ut iis omnibus

utantur homines ad Dei gloriam, suamque salutem, nec dæmonum fraudibus circumveniantur et deludantur.

Precibus his et ritibus sacris Ecclesia applicat homines alicui officio vel ad aliquam evehit dignitatem, datque iis solemniter ritu, officii ejus vel dignitatis insignia, precaturque Deum, ut ad ipsius Dei laudem, suamque et proximi salutem electus suo munere fungatur. Eo sensu benedicit Ecclesia Abbates, Abbatissas, Virgines, Milites, etc. Huc referri quoque potest coronatio imperatorum, regum et reginarum.

His precibus et ritibus sacris Ecclesia, res quasdam ab usu profano ad usum sacrum transfert. Eo sensu benedicuntur Ecclesiæ, Oratoria, Cœmeteria, Cruces, Campanæ, Altaria, Vasa, Ornamenta, Linteamina, Vestes, Aqua, Sal, Oleum, quidquid denique in usum sacrum assumitur. Si autem ad has benedictiones, Sacrum Chrisma, vel oleum adhibeatur, benedictio hæc, *consecratio* appellatur: proinde Eccle-



siaë, Altaria, Calices, Patenæ Deo dicuntur consecrari. Homines Baptismo, Confirmatione, Ordinatione Deo consecrantur.

His precibus et ritibus aliquando petit Ecclesia, ut Deus virtutem Sancti Spiritus effundat in res inanimas, ut per eas effectus aliqui divini præter naturæ ordinem producantur. Hoc petit in benedictione aquæ baptismalis, sacri olei, et chrismatis, quæ sunt materia Sacramentorum. Hoc petit etiam in benedictione salis et aquæ, quibus constat aqua lustralis, quæ benedicitur singulis Dominicis diebus. Hoc petit Summus Pontifex quotannis in benedictione agnorum cereorum. Hoc quotidie petitur in benedictione rosariorum, scapularium, numismatum, aliorumque hujusmodi, quorum benedictione satisfit piæ populorum devotioni. Ejusmodi tandem benedictionibus petit à Deo Ecclesia, ut qui his rebus pie et fideliter usi fuerint, effectum, Ecclesiæ precibus designatum, consequantur.

Timendum ne est, aliquid superstitionis inesse in usu benedicendi res insensibiles ad producendos per eas effectus aliquos præter naturæ ordinem? Si quis putaret absque virtute et potentia divina, fieri posse, ut res istæ tales effectus producant, tunc superstitionosa foret ejusmodi cogitatio. Nihil autem est quod superstitionem sapiat si existimemus cum Ecclesia his rebus non propria virtute, sed virtute et potentia Dei posse aliquid præter naturæ ordinem effici. Fide credimus virtutem hanc divinitus inesse illis rebus, quæ sunt materia Sacramentorum, si forma materiæ applicetur. De ceteris rebus hoc unum credit Ecclesia, nimirum posse Deum illis vim divinam infundere, ad remunerandam fidem eorum qui iis utuntur cum debita reverentia his rebus, quas Ecclesia suis orationibus benedixit et consecravit. Origo harum benedictionum, quæ fiunt per verba Sacerdotis, addito signo Crucis, absque ullo dubio ab Apostolis est; neque desunt, qui hanc cau-



sam illud Apost. Pauli explicant ep. II ad Tim. c. II, v. 13: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti: sanorum, hoc est, quæ sanare possunt creaturas sive insensibiles sive sensibiles.* Hoc clarius habetur ex his verbis ejusdem Apost. I ad Tim. c. IV, v. 4 et 5: *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione precipitur: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Hic loquitur de cibus, aitque nullum ex iis esse rejiciendum ut natura sua malum, omnis enim Dei creatura natura sua bona est: at quoniam peccato factum est, ut dæmones vel homines creaturis abutantur ad malum, ideo eas verbo Dei et oratione sanctificari, id est, precibus et benedictionibus effici, ut illæ Dei gloriæ serviant secundum intentionem Creatoris.

Erat ergo temporibus Apostolicis hoc in usu positum, ut orationes funderentur super res omnes hominum usui servientes. Orationes autem illas benedictiones appellamus, quarum per-

petuum usum probant et omnium sæculorum scripta, et Euchologia seu libri rituales omnium omnino Ecclesiarum tam Orientis quam Occidentis.

Licet harum benedictionum Presbyteri ex potestate sui Ordinis sint adæquati Ministri, ut ex dictis constat et ex c. *Perlectis ad Presb. dist. 25*, ubi dicitur, *ad Presbyterum pertinet benedicere dona Dei*; tamen non omnes res possunt benedicere. Quædam enim sunt benedictiones Sacerdotibus permissæ, quædam vero Episcopis reservatæ.

Sunt equidem benedictiones, quæ fieri possunt à quolibet Presbytero sine speciali Episcopi licentia; qualis est benedictio aquæ lustralis, domerum, navium, ignis, seminis, ciborum, cinerum, cereorum, ramorum, agrorum, ceterorumque hujusmodi.

Sunt benedictionis quædam de jure mere parochiali, quæ privative ad Parochos spectant, quæque proinde fieri non possunt à quolibet Sacerdote nisi de ipsorum vel Ordinarii licentia; qua-

*Edwardo ephylis.*



lis est benedictio fontis baptismalis, nubentium, et aspersio salis et aquæ per domos in hebdomada Sancta.

Sunt benedictiones et consecrationis quædam solis Episcopis reservatæ ex institutione Christi, qualis est ordinatio Presbyterorum et Episcoporum, et administratio ordinaria Sacramenti Confirmationis.

Sunt quædam quæ ex traditione Apostolica multis firmata Conciliorum canonibus solis etiam competunt Episcopis; qualis est benedictio SS. oleorum et Chrismatis.

Sunt quædam quæ ex institutione Ecclesiæ solis quoque reservantur Episcopis ob eminentiam pontificiæ dignitatis et honoris, vel jurisdictionis, vel solemnitatis causa; qualis est dedicatio Ecclesiæ, consecratio altarium, calicum, patenarum; benedictio Abbatum, Abbatissarum, Regum; consecratio Virginum; benedictio novorum militum, armorum, et vexillorum bellicorum, etc., quæ tamen concedi possunt

Presbyteris ex indulto et privilegio Ecclesiæ.

Denique ad disciplinæ ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant, reservantur Episcopis benedictiones quædam, quas, licet minus solennes, fieri tamen non expedit nisi vel ab Episcopo, vel à Sacerdote delegato, quales sunt benedictio minus sollemnis Ecclesiæ, benedictio oratorii, cœmeterii, campanæ, Sacerdotalium indumentorum, lintheaminum sacri altaris, corporalium, sacrorum vasorum, tabernaculi seu vasculi pro servanda sacrosancta Eucharistia, novæ Crucis quæ palam exponenda est, imaginum quæ publico item cultui exponuntur, et ceterorum id genus. Ne quid ergo benedicatur in usum Ecclesiæ contra canones, quod parum deceat, quod non sit recte dispositum, quod non sit suis omnibus numeris absolutum, reservat Ecclesia benedictiones istas Episcopis, qui singulis mature perspectis et cognitis, vel per se, vel per delegatos Sacerdotes,



quorum notam habent probitatem et in illis rebus peritiam, res benedicendas benedicunt, non benedicendas respuunt.

In controversiam hic posset revocari, an Episcopus pro Sacerdotalium indumentorum benedictione, licet sacrum Chrisma non adhibeatur, simplici Sacerdoti facultatem committere possit? quam nonnulli à Summo tantum Pontifice, alii vero etiam ab Episcopo tradi posse concedunt. Ad hujus solutionem, en verba Bened. XIV, insitit. 21, num 10: "Ut omnem dubitationem exuamus; et cum amplius viginti annis Sac. Rit. Congreg. interfuerimus, ac supplices Episcoporum libellos audiverimus, ut simplices Sacerdotes pro hujusmodi vestium benedictione deligere sibi fas esset, die 17 Januarii hujus anni, Nos quoque ad ipsam confugimus, ac delegandi facultatem satis amplam obtinimus, quæ ad quinquennium protrahitur, novoque privilegio diutius prorogari po-

test." In sequenti num. 11 sic prosequitur: "Quamobrem juxta acceptam facultatem eorum benedictionem et consecrationem Nobis reservamus quæ sacram unctionem exigunt, uti præcipit Sac. Congregatio, quæ facultatem tantum elargita est subrogandi alium Sacerdotem pro benedictione illius supellectilis, quæ sacro Chrimate non oblitur." Et num. 14 sic concludit: "Itaque cum illud certum teneamus, jussu Sedis Apostolicæ benedictionem vestium, et vasorum consecrationem simplici Sacerdoti committi non posse..." Revera cum Sedes Apost. Magistra Rituum appellanda sit, Summusque Pontifex caput sit et universalis Ecclesiæ pastor, benedictiones potest reservare, et Sacerdotibus facultatem pro illis impertiri.

Ad hæc elucidanda operæ pretium erit apponere hic in fine aliqua circa benedictiones STATUTA ET



## DECRETA SCITU DIGNA.

Benedictio in qua intervenire debet sacra unctio est Ordinis Episcop.; ideoque simplicii Sacerdoti committi non potest. Sic declaravit *Sac. Congreg. in Brixiens. 9 Oct. 1610, et in Imolen, 14 Nov. 1615.*

Paramenta Ecclesiastica et ornamenta omnia tam Ministrorum quam altaris sunt per Episcopum benedicenda. *C. Vestimenta 42 de consecr. dist. 1,* ita ut simplices Sacerdotes illa benedicere non possint neque ex delegatione, et permissione Episcopi, nisi ad hoc habeatur speciale privilegium Sedis Apostolicæ. *Sac. Cong. Rit. 9 Oct. 1610, in Brixiens., in Tridentina 7 Aug. 16, 21, et in Caputaquens., 20 Julii 1630.*

Vestes et Paramenta sacra debent esse munda, honesta et benedicta: et sine ipsis celebrare regulariter et sine justa causa est peccatum mortale. *Can. Vestimenta 42.*

Paramenta ecclesiastica et sacra execrantur, et benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inseruire usui sacro, cui fuerant deputata aut non amplius priorem figuram retineant. Hinc stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici. *Barbosa lib. 3 Jur. Eccles. Univers. cap. 2, num. 36, et Bened. XIV. inst. eccl., 21 n. 12.*

Benedicere Pyxides possunt singuli, quibus est concessum posse benedicere paramenta et ornamenta ecclesiastica, quia in eorum benedictione Sacrum Chrisma non exigitur. *Rub. Pontif. Rom. de bened. Vascul. pro conserv. SS. Eucharist.*

Simplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Apostolicæ, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare: Et tunc debet uti ritu in pontificali præscripto, et cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta. *Ritual. Rom., et Sac. Rit. Cong. in*



*Placentina 19 Maii 1607, in respon.  
ad 10 dubium.*

Ex præcepto Pontificalis Romani  
Campanæ Ecclesiarum benedici de-  
bent, antequam in campanili colloquen-  
tur. *Bened. XIV, inst. eccles. 47,  
num. 38.*

Solus Episcopus jus habet campanas  
benedicendi cum adhibenda sit sacra  
unctio, et ideo inferioribus Episcopo  
committi non potest nisi ex speciali  
indulto Papæ. *Bened. XIV, loco cit.  
et Sac. Rit. Congreg. in Majoricen. 19  
Aprilis 1687.*

Verum simplex seu minus solemn-  
is Ecclesiæ, Cœmeterii et Campanæ be-  
nedictio, in qua non fit talis unctio,  
fieri potest à quolibet Sacerdote ex de-  
legatione seu de licentia Ordinarii vel  
Vicarii Generalis. Ita ex Rituali Ro-  
mano et aliis, et etiam *Sac. Rit. Cong.  
in Camaracens. 9 Februarii 1608.*

Trina benedictio ab Episcopis et  
Archiep. dumtaxat dari potest in locis  
sibi subjectis. *Bened. XIV, tom. 2.  
Const. 48, incip. Exemplis.*

Benedictio nubentium fieri debet à  
proprio Parocho, non autem ab alio  
Sacerdote, nisi de ipsius Parochi, vel  
Ordinarii licentia. *Concil. Trident.  
sess. 24. cap. 1 de reformat.*

Parochi alieni, et alii Sacerdotes, si-  
ve sæculares, sive regulares, benedi-  
centes in nuptiis alienos sponso sine  
licentia Parochi, vel Ordinarii incur-  
runt suspensionem. *Id. Concil. loc.  
cit.*

An benedictiones et distributiones  
Candelarum, cinerum, et Palmarum sint  
de iuribus mere parochialibus? Et  
responsum fuit: Negative. *Sac. Rit.  
Cong. 10 Decem. 1703, Urbis et Or-  
bis.*

An benedictiones mulierum post par-  
tum, fontis baptismalis, ignis, seminis,  
ovorum et similium sint de iuribus  
mere parochialibus? Et responsum  
fuit: Negative; sed benedictiones mu-  
lierum, et fontis baptismalis fieri debe-  
re à Parochis. *S. R. C. 10 Decem....  
1703.*



Aspersiones domorum in Sabbato sancto Paschæ Resurrectionis spectant ad Parochos privative quoad Ecclesiæ Clericos. Sic Barbosa *de off. et potest. Parochi*, cap. 12, n. 11 et 12, ubi refert, Sac. Cong. Conc. sub die 23 Nov. 1616, decrevisse Regulares non posse in Sabbato sancto benedicere domos.

An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus mere parochialibus? Et responsum fuit: Negative prout jacet. S. R. C. 10 Decem. 1703 *Urbis et Orbis*.

Benedictiones animalium in die festo S. Antonii Abb. dare, et oblationes recipere ab aliis Capellanis et Rectoribus aliarum Ecclesiarum intra fines Parochiæ existentium, nec prohibere, nec impedire valet Parochus, quia inter functiones parochiales ista benedictio non connumeratur. *Sac. Conc. Episc. et Regul. in Fulginat. 25 Maii 1685, et in Tudertina 18 Nov. 1695, et Sac. Cong. Concil. in Ravennaten. 12 Nov. 1695.*

Benedictio Crucum, Altarium et Processionum potest fieri private non solemniter à quolibet simplici Sacerdote, et tales cruces non sunt benedicendæ de præcepto. *Sac. Rit. Cong. 12 Julii 1704.*

Benedictiones cum Reliquiis non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur. *Bened. XIV, inst. eccles. 47, n. 26.*

Confraternitates, Congregationes, vel Sodalitates SS. Rosarii, Cordigerorum, Corrigiatorum S. Augustini, Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et aliae aliis Regularibus concessæ erigi et institui debent à suis respective Superioribus; et ad ipsos spectat habitus tradere, ac scapularia et coronas benedicere, non vero ad quemlibet Sacerdotem nisi ex eorum concessione seu licentia. Ita ex variis Const. Apost. et præcipue *Clementis VIII, incip. Quæcumque; Pauli V, incip. Nuper; Sixti V, Divinæ Charitatis; Clementis X, Dum*



*felicis, et Innocentii XI, Exponi Nobis.*

Benedictiones præter eas, quæ in Ecclesia receptæ sunt, in sacris ritibus non admittantur. *Bened. XIV, tom. I, Const. 89. incipit. Inter Omnigenas, § 18.*

Ex omnibus hucusque dictis satis habemus, venerande Sacerdos, Benedictionis esse, divisionem, Ministrum, et originem, pariterque ex illis inferre possumus quam prudenter, quam recte et reverenter benedictiones à nobis sint faciendæ.

## REGULÆ GENERALES,

PRÆ OCVLIS HABENDÆ IN BENEDICTIONIBUS FACIENDIS.

1. Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, et pro quibus superioris facultate indigeat, ne majoris dignitatis munera temere aut imperite umquam usurpet propria auctoritate.

2. Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco decenter paratam.

3. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum adstantem cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, cum hoc libello, seu alio, et duobus cereis accensis.

4. In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, et stola regulariter alba, aliquando violacea utatur; nam color albus designat puritatem communicandam rebus be-



medicendis; violaceus autem adhibetur congrue in benedictione conjuncta cum exorcismis ad effugandos dæmones, unde ad aquam benedicendam eo colore utimur. Potest tamen adhiberi stola coloris temporari convenientis; ut dicitur in *Rubricis Ritualis Romani*.

5. Stando semper benedicat Sacerdos, aperto capite manibusque junctis, ni cum ipsis liber sit tenendus.

6. In principio cujusque benedictionis dicat: *v. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum et terram. v. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. v. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo*, et attente, reverenter ac devote legat benedictionis verba.

7. Deinde dicatur oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit; manumque formetur Crucis signum, ubi est nota hæc ✠.

8. Postea aqua benedicta rem aspergat in fine ter, hoc est in medio, à dextris, et à sinistris; et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

## TITULUS I.

*Benedictiones quæ in hoc titulo I continentur fieri possunt à quolibet simplici Sacerdote.*

### ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

*Diebus Dominicis, et quodcumque Opus fuerit, præparato sale et aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel Saceristia, Sacerdos superpellicio et stola violacea indutus, primo dicit:*

*V. Adjutorium nostrum in nomine Dómini.*

*R. Qui fecit cælum et terram.*

*Deinde absolute incipit Exorcismum salis.*

**E**xorcizo te creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliscúm Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterilitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salutem